







1664.

12. Gueldematter, Nicolaus: De sede majestatis Romano-Germanicae. 2. 5. unth.
3. Hoermann, Johann Christoph: De revocativa injuriam actione.
4. Zwickler, Nicolaus Christophorus: De separatione
5. Meder, Joh. Christophorus: De remedio poenitentiae.
6. Tabor, Joh. Otto: Summa ad h. d. g. de pactis notariis, subjecta omnium legum expositione

1665

1. Tabor, Joh. Otto: De indicis delictorum remotis et lesivis.

1666.

1. Tabor, Joh. Otto: De jure feudali in genere, et de personis, quae feudare possunt.
2. Tabor, Johann Otto: Technographia doctrinae feudalialis, methodo, quasi hodie in scholis tradita

tractari solet, ex Authonio, aliisque delineata.

3. Tubor, Joh. M^o: De jure adrecedendi.

1667.

1. Tubor, Joh. M^o: De substitutionibus.

2. Tubor, Joh. M^o: Tractate juridica argumenti de con-

In.

3. Thomae, Hieronymus: De conferrisibus.

1668.

1. Uben, Rudolphus: De decreto in alienandis rebus

non coherens: his similibus personarum rebus
necessariis.

2. Zierler, Johannes Andreas: De Fidei.

12
13
14



[Faint, illegible handwriting on aged paper]

M
R

[Handwritten mark]



17632.

DE

Ag.^a

INDICIIS

DELICTORVM

REMOTIS ET LEVIORIBUS

*Ad explicationem articuli. 25. Constit. Carolinae
directa Commentatio.*

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO,

*VIRI Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi
& Consultissimi*

DN. JOH. OTTONIS TABORIS
JCTI EMINENTISSIMI, SERENISSIMI

Principis Hasso-Darmstadini &c. aliorumque

Imperii Statuum Consiliarii, Universitatis LUDO-

VICIANÆ Cancellarii & Profes-

foris Primarii

DN. Patroni, Promotoris ac Præceptoris æternum venerandi


Publicè defendendam suscipit.

JOHANNES BURCKHARD-US ROSLERUS

Schottâ Hassus.

Ad Diem Augusti.

IN AUDITORIO JCTORUM.



GIESSÆ HASSORUM

Typis FRIDERICI KARGERI.



IN DIGNISSIMO

IN DIGNISSIMO

IN DIGNISSIMO

IN DIGNISSIMO

IN DIGNISSIMO

IN DIGNISSIMO

Dep

D

4. E
hoc
men
quisi
nostr
tyran
fente
quisi
eoqu

titul
bus,
one
one
caus
etian
sta,
Kloc
legit
num
his
pigr

in ar
ipsa



ANALYSIS
ARTICULI XXV.

De præsumtionibus & indiciis *communibus*, quæ
ad omnia delicta pertinent.

DE Gerardo Busdrago, Episcopo Argolicensi, refert *Præfat.*
Wolffius in *Epistola dedic. tom. I. lectio. memorab. p.*

4. Eum Anno 1558. ad Cardinalem quendam inter alia &
hoc scripsisse: Se in Jure Canonico, in quo à pueritia ta-
men verlatus sit, nullum unquam reperisse titulum *de In-*
quisitoribus, & proinde opinari, quod illi apud majores
nostros minimè fuerint in usu, sed tantum Imperatores
tyrannos, fidei Christianæ hostes, sanguinem fudisse. Quâ
sententiâ admittâ, tota indiciorum materia, quippe in-
quisitioni cum primis juvandæ comparata, rejicienda ad-
eoque labor & commentatio nostra foret supervacanea.

2. Verum quia Busdrago non potuit ignotus fuisse
titulus *De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denunciationi-*
bus, non putandum est eum de Inquisitoribus & Inquisiti-
one legitimè instituta loqui, sed de tyrannica illa inquisiti-
one in Lutheranos ex præconcepto Zelo suscepta, & sine
causæ justificatione tumultuariè dispensata: Cujusmodi
etiam erant judicia *VVestphalica, die Stullgerichte* olim di-
cta, de quibus integrum tractatum edidit Freherus, *conf.*
Kloeken. I. consil. 15. n. 24. & seqq. Ut ergò inquisitionis
legitimè institutæ; ita etiam indiciorum magnus etiam
num est usus, ne scelera impunita maneat: adeoque de
his etiam reliqua Constitutionis Carolinæ capita non
pigrabimur perlustrare.

§. 3. Enimverò post præfationes, & admonitiones
in articulis superioribus præmissas, aggreditur Imperator
ipsam indiciorum enarrationem, quatenus ea vel sunt

S

commu-

communis omnibus aut pluribus delictis; vel *peculiaris* ac propria quibusdam, veluti homicidio, infanticidio, veneficio &c. Eandemq; distinctionem etiam retinet Carpzovius 3. *qu. cr.* 122. n. 1. De indiciis communibus agitur, ab art. 25. usq; ad 32. *inclusivè*. Distinguuntur enim indicia communia, quod alia sint *remotiora*, adeoque debiliora: (Dn. Carpzovius verisimilia & incerta vocat, & quæ per se sola ad torturam non sufficiant 3. *qq. cr.* 130.) Alia verò sint propinquiora facto, eoque etiam fortiora, magisque urgentia *M. Stephani ad art.* 19. *Carpzov. d. qq. cr.* 120. n. 10. & *qu.* 123. n. 40. Eaque distinctio etiam ex cõparatione tit. 27. & 29. elucet. Prioris generis indicia proponuntur & declarantur. Proponuntur in art. 25. & 26.

§. 4. Et in præsentis quidem art. 25. enarrantur septem species s. exempla; sed ita, ut quædam veluti præfatio novæ præmittatur. Quia enim Imp. novam veluti tractationem aggreditur; Ideò etiam nova quædam præfatione vult uti. Continet ea *tum differentiam* præsumptionum seu indiciorum *remotorum* & indiciorum propriè dictorum & *urgentium*, tum usum illorum. Quoad differentiam & distinctionem specierum, innuit Imperator se prius acturum de indiciis præsumptionem tantum inducentibus, simulque indicaturum, quomodo & quando præsumptiones s. conjecturæ legitimum indicium faciant. Ita reddo & explico §. *Erstlich von argwöhnigen Theilen*: quæ plerique Interpretes tanquam otiosum præmittunt. Gallus sic vertit: *Tout premierement il cõvient considerer les circonstances de chaque delict, & de la remarquer, quels indices suffisantes on pourroit tirer.* Verum non assequi videtur Gallus mentem Cæsaris. Licet enim in §. seq. Item *so manni* in f. suspectarum circumstantiarum fiat mentio: Attamen in ipso principio proœmiali subjectum non sunt circumstantiæ. Sed *argwöhnige Theile* i. e. partes sive res suspectæ: Neque in præ-

prædicato quid certi definitur, multò minus illud quod circumstantiæ primo loco sint considerandæ : Sed hoc tantum promittit Imperator, se indicaturum; quomodo & quando ex partibus s. negotiis suspectis i. e. ex indiciis remotioribus suspicionem tantum & præsumtionem inducentibus, etiam legitimum indicium possit confici.

§. 5. Itaque nec Remi nec eum solito more sequuti Zierizii versio, hîc pro ea quæ κατὰ πόδα & ad verbum reddita sit, accipienda venit; sed pro tali, quæ veram sententiam alio ordine exhibeat. Quod enim illi in initio ponunt: Id Imperator in §. Item so mannder Anzeigung/ &c. demum proponit, nempe *de usu horum indiciorum remotiorum*: Quem Imperator exponit συζητητικῶς sive in comparatione ad indicia sufficientia. Licet enim Judici in primis dispiciendum sit, & curandum, ut indicia cuiusvis delicti investiget propria & sufficientia saltem ad torturam [qualia in multis seqq. articulis proponentur art. 33. & seqq.] ut hætenus rectè Remus & Zierizius. Si tamen talia conquirere aut invenire nequeat; tum ad communia & remotiora respiciendum erit, quæ ex factorum circumstantiis oriuntur & in seqq. §. §. describuntur. Unde argumentatio à similibus fieri poterit ad similia, cum omnia ejus generis describi & certis definitionibus includi haut possint, uti superiore articulo præmoniti sumus. Unde Doctores rectè concludunt; Allegationem circumstantiarum facti, etiam Sagarum denunciationibus magnam fidem conciliare Gædelman lib. 3. de lamiis c. 9. n. 12. adeoque de singulis etiam circumstantiis delictorum diligenter inquirendum esse cap. licet 9. de probat. v. art. 31. sum andern item art. 163. & passim.

§. 6. Dices: Si judici propria & peculiariora delictorum indicia primò omnium sunt investiganda; illa etiam

in ordinatione prius debebant præmitti, ac deinde communia & debiliora indicia subjici. Quemadmodum in aliis etiam juris partibus hic ordo observatur, ut prius peculiaria cujusque speciei exponantur; deinde communia subjiciantur, uti notari solet ad pr. 1. de satisd. tut. vel. curat. v. Jurisprud. Method. part. Elem. p. 35. rh. 37. faciunt. in D. tit. Communia prædiorum in C. commun. utriusque jud. Comm. de succession. Commun. de usucapion. &c. Accedit & illa ratio, quam Dn. Manzius ad pr. hujus art. n. 3. adfert: Quod potentiora sint specialia quam generalia l. 49. inf. de leg. 3 & illud potissimum habeatur, quod ad speciem directum est l. in toto 80. de Reg. Jur. Potiora autem æquum est præcedere uti ex l. 1. de alb. scrib. & aliis textibus infert cum veteribus Wesenbec. in parat. D. de Indic. n. 3. &c. Hæc quidem ita se habere: Quia tamē communia hæc & remotiora indicia simul generalia sūt, ideo Imperatoris methodū aliā ratione excusari posse, quod sc. generalia specialibus possint præmitti Kubach in Brocardic. c. 22. ax. 4. & §. p. 403. Conf. qua ad rubr. & continuationem tit. de Exercit. act. monuimus.

§. 7. Declaratione istā præmissā, Imp. in §. §. seqq. septem indicia & argumenta proponit, quorum (1.) petirū est à fama (2.) à loco [3.] à situ & habitu [4.] à societate & consuetudine. (5.) ab effectu odii vel inimicitiae (6.) à læsi nominatione [7.] à fuga.

(Ad §. Erstlich/ob der verdachte.)

De fama.

§. 8. Dixi argumentum 1. indicium primum desumi à fama. Ita enim verba priora explicat ipse Imper. in d. §. Erstlich & doch soll solcher böser Leumuth. ubi per particulam solcher indicat Imperator, se loqui de mala & sinistra fama, mores alicujus ita perstringente, ut pro temeraria & levi persona haberi possit. Alii adjunctum pro subiecto ponunt

nunt & tradunt in isto §. argumentum sumi à qualitate personæ. *Manzius h. n. 4.* M. Stephani plura conjungit & ait: Primum argumentum consistere in qualitate personæ, vita antea acta & fama. Enimverò cum Imp. hoc articulo, septem distincta indicia proponere voluerit, non sunt ea vel multiplicanda vel confundenda.

§. 9. Dicimus ergò in hoc §. *Erstlich* / agi de indicio malæ famæ sive diffamationis *v. Carpzov. 3. qq. crim. 120. n. 17.* quam describere possumus existimationem sinistram *l. 10. §. 5. de Questionibus.* quæ de aliquo in civitate sparsa est. *conf. Fichard. tom. 2. consil. 50. n. 3. Freher. lib. 1. de fama c. 1. n. 2.* Alii sic malunt: Esse majoris vel potioris vicinæ partis opinionem, de homine, vel facto hominis cujusdã, originẽ à personis honestis trahentẽ. Famæ istius describitur in hoc §. primum subjectum; tum Objectum, denique origo. [De probatione a. famæ Imp. hoc loco non agit; Fortè quia generalem doctrinam sufficere putavit in articulo 65. & seqq. *v. Freher. lib. 1. de fama. c. 5.* ubi requirit duos testes de populi clamore deponentes *es sey die gemeine Rede davon. conf. inf. th. 14.*] Unde recte redarguitur à *Carpzovio 3. qq. crim. 120. n. 23.* *Cothmannus* quod cum Aliis Reorum defensoribus, decem præcepta procudat. *1. Respons. 12.* Cum Imp. duo tantum proponat; Unũ *ratione subjecti*, ut homo sit infimæ conditionis, *alterũ ratione originis fama* ut ea orta sit ab hominibus fide dignis. Nos tria requisita in textu nostro deprehendimus, & subjectũ non tam de conditionis vilitate, quam animi levitate & temeritate accipimus: nam & vitia ista & delicta in nobiles ortu æquẽ cadere possunt. *Subjectum* ergò est homo suspectus s. in suspicionem inductus, puta vel accusatione vel delatione vel nominatione: de hoc ergo inquirendum, qualem famam & existimationem meruerit



in civitate *d.l. 10. §. 5.* & an tanta sit animi temeritate vel levitate præditus, ut delictum tale committere potuerit, *congr. l. 3, §. 12. ibi: inspecto precedente vitæ ejus actu. de re militari l. 5. §. 6. Eod. Menoch. 5. præf. 32.*

§. 10. *Objectum* famæ est vel generale vel speciale. Generale dico in universum vitam antea actam, quando fama vulgavit suspectum istum hominem adeò temerariam & levem personam esse, ut delictum de eo facile possit præsumi. Vita enim ante perperam acta sinistram præsumtionem inducit, *l. non omnes §. à barbaris & si verò remansor fuit. de re milit. c. 1. de purgat. canon. inf. art. 31. §. zum vierten N. Reusner. 5. cons. 19. n. 13.* Et ex gestis præteritæ vitæ, præsentia metimur *l. pen. §. ult. C. de agent. in reb. lib. 12,* Speciale autem *objectum* dico, factum consimile, si sc. suspecta persona simile facinus vel perpetrarit vel attentarit, vel de eo delata sit; semel enim malus semper præsumitur talis. *can. semel. 8. de R. 1. in 6. Nov. 72. præf. maximè in eodem delicti genere Menoch. 5. præf. 32.* Denn die Krähe läßt das hüpfen nicht / uti nostratum fert adagium

§. 11. Tertiò per limitationem adjicitur etiam descriptio originis & requiritur ut ista famæ inculpatio ortum habeat (1) *negativè* non ab inimicis, aut [2] hominibus levibus; sed (3) ab hominibus affectu & crimine vacuis. Primò enim testimonium inimici nullius est ponderis, licet ritè exactum fuerit, nedum qualiscunque ejusdem depositio; cum ab inimico nil nisi omne malum sit metuendum *cap. Repellantur 7. de Accusat. l. 1. §. præterea 24. & §. cum quis. 26. de quest. l. si inimicitia. 9. de his que ut indig. Auth. si testis. C. de testib. Menoch. de A. 1. 2. cas. 110. Farinacius 1, cons. crim. 79. n. 6.* Nisi verisimiles delictorum circumstantiæ ab ejusmodi inimico designentur; prout hæc propo-

propositio notabilis, canonisata legitur in Constit. Carol.
art. 31. §. zum dritten in f,

§. 12. Non majorem fidem meretur indicium s.
depositio hominis *levis*, cum qualis sit testis, tale etiã sit
testimonium. Per homines autem leves intelligimus non
tantum infames infamia juris, qui nullatenus ad testimo-
nium admittuntur. *c. ult. Ext. de testib.* sed & laborantes in-
famia facti; Quia nec ii regulariter ad testimonium ad-
mittuntur *v. Farinac. quest. 56. n. 115.* Quomodo etiam
Judæi à testimonio repelluntur & hæretici alii. *can. non po-
test: can. pagani. caus. 2. quest. 7. l. quoniam. 21. C. de hæreticis.*
Farinac. d. q. 56. n. 105:

§. 13. Positivè ergò (2.) requiritur, ut fama originem
sumserit ab hominibus, qui (1.) sint Impartiales ut vulgo
loquuntur s. vacui ab omni sinistro & corrupto affectu.
Cum quorum affectus cupiditate aliqua vel odio corru-
pti sunt, non possint liquidum ferre testimonium, prout
de inimicis diximus *v. inf. §. zum fünften* (2.) Sint iidem
honesti & cordati: Non viles: ut enim in telo plurimum
interest à qua manu veniat: Sic in verbo & sermone
multum refert ex quali corde & ore profluat. *arg. l. decuri-
onum 12. vers. cumque C. de pæn.* Et ut alias origo cujusq; rei
spectanda est *l. Quid ergo 13. pr. de his qui not. infam. l. 1. pr.
de pæn.* ita etiam in fama. *Bocerus de tortur. cap. 3. n. 18.* Ita-
que fama in tonstrina, stabulo, aut muliercularum circulis
nata, famæ nomen non meretur; sed rumoris. *cap. super eo
quod postulas. 5. De eo qui cognov. consanguin. uxor. sue vel
spons. l. Decurionum. 12. C. de pæn. Frider. Preuning. ad Le-
cturas Vranii cap. tam literis. 33. de Testib. p. 233. n. 20,* Pertinet
eò locus Ciceronis *lib. 12. epist. 252. ad Cassiam.* ibi:
Nos de Dolabella cotidie, quæ volumus, audimus: Sed
adhuc sine authore, sine capite, rumore nuntio.

Enim



§. 14. Enimvero quia in requisitis negativis & positivis Imperator semper utitur numero plurali: Sequitur & intelligitur etiam hoc requiri, ut origo talis non ab uno tantum sed à pluribus orta sit: Cum vox unius sit nullius s. pro nulla habeatur l. 9. C. de testib. cap. 10. & 23. Ext. eod. etiam si hominis sit in dignitate positi. cap. Ego solis. 5. Dist. 9. Farinac. quest. 63. n. 7. Preuninger. d. pag. 235. n. 20. ubi ad minimum duos testes requirit, qui dicant se aliquid audivisse à majore civitatis vel provincia parte. Utque adeò etiam de fama illa plures, vel ad minimum duo testes honesti deponant simulq; referant à quibus fama ortum habuerit. Farinac. quest. crim. 47. n. 229. Carpzov. 4. constit. 42. def. 2. n. 19. conf. Crusum part. 1. de Indiciis. c. 7. n. 9. & seqq.

§. 15. Inquies: Si fama tot tantisque requisitis instructa sit, tum non leve facturum indicium; sed sufficiens, saltem ad torturam: *Vti sentire videtur Menoch, 1. pres. 89. n. 31. Farinac. quest. 47. n. 22. Bocerius de torturis cap. 3. n. 27. item in responso de tortura sagar. n. 43. & qui infra plures citabuntur.* Verum plurimum interest, utrum honesti viri aliquid ritè quæsitò directo & positivè adeoque etiam jurato asseruerint, an vero indirectè & conjecturaliter. Nam si v. g. duo honesti viri in judicio jurati testentur, Titium percussisse, etiam sine adminiculis aliis indicium sufficiens faciunt, si ritè postea examinentur & cætera requisita concurrant; Verum si honesti viri extrajudicialiter & indefinitè atque conjecturaliter aliquid efferant v. g. se putare quod Titius percussit, idque verbum alii sequantur, honesti autem viri illi vel mortem obierint vel longius absint, ita ut judicialiter audiri nequeant; Tum quidem eorum assertio famam parit: non autem veritatem, quippe cum nec judicialiter, nec jurato auditi sint. Interim si illi famæ
sive

sive voci jam vulgatæ & tralatitiæ accedat suspectæ personæ probrosa vita; indicium memorabile efficit; sed quia nihilominus in præluntione nuda terminatur: Ideò non statim ipsam torturam operari & producere per saltum potest; sed inquisitionem specialem, *cap. Qualiter. 24, De Accusat. c. cum oporteat, 19. eod. Carpzov. de Process. tit. 7. artic. 1. n. 37. 38. post Bertich. & illi citatos. 4. conclus. 4. n. 16. Mund. I. consil. 14. n. 19. & 52. confrontationem, atque adeo quandoque capturam.*

§. 16. Respondebo hoc amplius, aliquando viros honestos videri & non esse; sed variis vitiis intus & in cute scaterere atque obnoxios esse. Quotusquisque enim mortalium, licet in dignitate constitutus, non illis succumbit vitiis, ut obtreptiones libèter audiat, nova undecunq; conquirat, invidia aut æmulatione corripitur. Videas etiam eruditos aliquando viros, maximè qui conscientiam non usque adeò adstrictam habent, & satyricis ingenii præditi sunt, non tantum oblectari detractationibus, susurris, sarcasmissis, cavillationibus; sed easdem etiam voce & calamo malignè disseminare, atque in eo campo quam lubentissime vires ingenii & eloquentiæ suæ experiri. Quot convivia, quot symposia numerabis instituta, in quibus proximus absens ac sæpius innocens materiam fabulæ ac lætitiæ non præbuerit. Hic prima quæstio est quid novi? Respondet alter, nihil admodum: Ajunt tamen hunc commisisse stuprum, illum adulterium: Illum furem, hunc veneficum esse. Unde enim homini obscuro tanta eruditio: quomodo tam facile, tam miraculosè emergeret, qui infimæ conditionis erat, nisi malis Dæmoniorum sive ut eruditi vocant, spirituum familiarium artibus, uteretur. Hæc à viris in speciem gravibus & honestis sine circumspeditione enunciata, circumstantes pueri,

T

ancillæ

ancillæ, famuli, excipiunt & passim vulgant. Ecce tibi famam ab honestis viris ortam *Confer Casistas de susurrati-
one & detractiōe ap. Ludov. Molinam de justitia commuta-
tiva tr. 4. disp. 25.* Accedat alius qui dicat se id credere; vixisse enim illum & illam à teneris valdè liberè & libera-
liter, aliquando etiam osculum admisisse aut æthiopiſſam
consuluisse. Habemus jam famam per omnia requisita
confectam: Sed falsam tamen & fallacem: de qua meri-
tò dixit Quintilianus *declamat. II.* In rumore, cujus pro-
bationes, cujus argumenta non habes, calumniæ genus
est, primum credere, deinde renunciare. Ideò inquit
Cicero 2. ad *Herenn. c. 8.* quod quivis homo possit quem-
vis turpem de quolibet rumore proferre & confictam
fabulam dissipare. Quis enim nescit, inquit iterum *Quin-
til. d. declam. II.* hanc famæ esse naturam, ut sit primo unius
hominis audacia: De nulla enim re locutus est continuo
populus; Habet unusquisque inquit Seneca *epist. 105,* a-
liquè, cui tantum credit, quantum ipsi creditum est, ut garrulitate
suâ custodiat & contentus sit unius auribus, populum facit. Sic
quod modo secretum erat rumor est, Proinde Marquardus
Freherus *in lib. de fama epist. dedicat. scribit:* Si quid est ex
his, quæ in veritatis testimonium allegantur, quod aucto-
ritatis quadam specie incautos fallere facillime possit;
Id profecto est fama credulitasque publica. Unde *J. C. Jus-
Pavus* concludit rumorem falsum non solere obesse *l. ult.
de vulg. & pupill. subst. l. 10. C. de test. milit.*

§. 17. Ex adverso autem Imperator Hadrianus *in l.
testium 3. §. ejusdem 2. de testib.* Sic rescribit: Consentien-
tem famam confirmare rei de qua quæritur fidem. Unde
gl. ibid. multique alii statuere audent, ubi aliunde proba-
tio sumi non potest, ibi famam plenè probare *lason. in
Keumea 21. n. 5. C. de transact. Decius aliq. laudati M. Frehera*

lib.

lib. i. de fama cap. 8. n. 18. Quinimo Metzger. de tortura
reorum th. 99. cum aliis suprath. 15. citatis. disertè statuit:
Etiam ad torturam sufficiens indicium nasci, si fama pu-
blica in aliquo loco spargatur quod Titius v.g. commise-
rit hoc aut illud delictum per l. de minore 10. §. Tormenta 3.
De Question. Maximè si sit fama vehemens, tum enim
sufficere ad torturam absque aliis adminiculis th. 103.

§. 18, Hanc difficultatem A. Matthæi aliique Jcti
Critici sicco planè pede prætereunt. Arbitror autem sen-
tentiam rescripti sumendam esse ex verbo confirmare: Si
id referatur non ad asseverantem ut gl. ad d. §. 2. tradit. Sed
ad ea quæ antecedant probationum genera, ut in l. 6. de
jurisdic. gl. & Cujac. ibid. Quomodo mentem suam etiam
explicat M. Freherus d. l. i. c. 14. Sic ut fama aut confidere-
tur per se; aut cū aliis indiciis. Per se considerata est vel nu-
da vel qualificata; s. ut alii vocant vestita. Illa nullatenus
attendenda est. Nam ut Cujac. alicubi loquitur, prævio
Quintiliano, famæ hujus mater est malignitas, nutrix cre-
dulus; Itaque licet vehemens sit, fidem tamen non me-
retur. Bocer. c. 3. de tortur. n. 30. nedum alia remissior. v. eun-
dem d. c. 3. n. 20. p. 122. vers. tale. Cæterum qualificata
& vestita iis quæ hoc articulo traduntur requisitis, indici-
um facit & semiplenam probationem, uti cum Fr. Vivio lo-
quitur M. Freherus l. i. de fama c. 7. n. 2. Quæ tamen si aliis
etiam conjecturis & præsumtionibus adjuvetur, potest &
plenam efficere probationem. Freher. d. c. 14. Apud quem
plura de hac materia videre licet. Nobis enim pro insti-
tuti modulo, ad alia properandum est. Hoc unum adje-
cturis, Metzgerum fortè allegare voluisse d. l. 10. de quest.
§. 5. ubi dicitur, respiciendum esse cujus existimationis
quisque sit in sua civitate: Nam inde, ut & ex rei sermo-
ne & vultu quædam ad illuminandam veritatem emerge-
re posse



re posse. Resp. Sed inde id quod Metzgerus intendit non conficitur: Non enim dicit Arcadius ob sequiorem estimationem hominem liberum statim ad torturam rapi posse; Sed per eam adminiculum quoddam probationi (de qua in §. precedenti 4. dixerat,) & eruendæ veritati adferri. Unde ipse Metzgerus sententiam suam th. 100. per subjectam limitationem corrigit, & tum procedere vult, quando cum famâ publicâ alia cōcurrunt adminicula & quando fama non ab inimicis aut malitiosis, sed ab honestis hominibus oritur. th. 101. & fama rectè probatur.

(Ad §. sum andern. 2.)

2. Indiciū,
à loco.

§. 19. Altera suspicio sive præsumtio (aut *indiciū levius* quod ad omnia delicta referri & applicari potest) sumitur à loco Si enim [1.] personæ suspectæ (2.) in locis periculosis (ita enim ad verbum reddendum est adjectivum *gefährlich* sive ut Cajus vocat in l. Qui petitorio 36. §. Qui in rem. 1. de R. V. locis insidiosis (q. d. sublestis & lubricis v. inf, artic. 159.) & delicto commodis s. opportunis adeoque suspicioni obnoxiiis inveniantur vel deprehendantur, indicio quodam de crimine perpetrato gravantur. Aliter huic vers. explicat & cum indicio sequenti confundit Carpzov. 3. q. cr. 120. n. 30. & seqq. Neque Imperator in specie de domo in qua delictum perpetratum fuit, sed de loco periculoso & suspecto vel opportuno ad maleficia perpetranda tractat.

§. 20. Dicendum itaque est aliquid de confirmatione & fundamento hujus præsumtionis, tum de ejusdem effectu. Fundamentum petit M. Stephani hîc ex l. 16. §. 4. de pæn. sequitur hunc cum Aliis C. A. in tit. de quest. & tort. th. 6. n. 3. Verum si d. §. 4. inspiciatur, apparebit locum ibi considerari non ratione probationis, sed ratione qualitatis delicti, de quo certo constat, quod

quod jam perpetratum sit: verba ita habent: Locus facit
 ut idem (*facinus absolute spectatū*) vel furtum sit (si in loco
 profano ac privato admissum sit) vel sacrilegium (si in lo-
 co sacro fuerit perpetratum) *facit §. atrox, 9. vers. vel ex
 loco I. de injur.* Itaque mallem confirmationem hujus
 sententiae petere *ex d. l. 36. §. I. de R. P. l. 21. §. sed si in locum
 aliquem inhonestum. de recept. cap. Tertio, 13. ibi: quod eos in-
 simul viderant per plana & nemora, vias, in via, pluries con-
 vagantes. De præsunt.* Sic cum quis in lupanari fuit, for-
 nicationem cum admisisse verisimile est. *Zanger. de tort.
 c. 2, n. 83. inf.* Sic qui in loco insidiis opportuno suspecto ve
 aliquem præstolatus est, præsumptione gravatur quod ag-
 gressor fuerit. *Theodor. disp. crim. II. th. 6. lit. C.* plura ex-
 empla adducit *Schrader. I. conf. 5. n. 62. & seqq. add. Vigel.
 in method. jur. controvers. lib. 2. c. II. lit. l. verb. locus.*

§ 21. Quod ad effectum hujus præsumptionis attinet:
 Tradit *Carpzov. part. 3. qu. cr. 110. n. 33.* indicium hoc ad
 torturam non sufficere, nisi alia indicia & adminicula
 concurrant, veluti quod reus sit persona turpis, inhonesta
 vel suspecta. Atqui in hoc §. *zum andern.* etiam supponi-
 tur persona suspecta, ibi: *Ob die verdachte Person & præter-
 ea etiam quod in locis insidiosis reperta fuerit; Zuber That
 verdächtig.* Neque tamen suspiciones istæ cum loco tali
 conjunctæ ad torturam dicuntur sufficere, prout quidem
 in seq. tit. de octava præsumptione cum qualitate perso-
 næ conjuncta id effertur, sed potius negatur art. 17. Faci-
 unt enim hæ species & partes inducuntque aliquam dun-
 taxat præsumptionem & leve quoddam uti diximus indi-
 cium, quo iudex processum de super formare possit & in-
 quirere, ac tū per gradus progredi queat v. *Manzium. n. 23*
 (Ad §. Zum dritten)

§. 22. Non confundenda est itaque cum dicta præ-
 sumptione

3. Indiciu
 lere à situ,
 positu &
 habitu su-
 specta perso-
 ne sumtum.

sumptione ex locis suspectis petita, ea quæ in seqq. §. de situ, positu & habitu, sumitur: prout faciunt M. Stephani h. n. §. Hunnius de quest. th. 6. D. Eosq. sequitur Carpzov. d. qu. cr. 120. n. 31. Crusius part. 1. de Indiciis. c. 6. n. 8. Agit enim hic §. uti d. primum de situ. consistentia, & ut vulgò loquuntur positura hominis suspecti, in qua visus aut recognitus fuerit vel in facto ipso *et in 27. ca* vel in accessu ad factum, vel in recessu auctem Wege darvon. Aliud enim vero est deprehendi in loco tantum, Aliud vero & plus est deprehendi aut conspici in facto vel in accessu aut recessu à facto. *exempl. l. 3. §. 1. & seqq. de furt.* Sic enim nonnulli arbitrantur; non præsumptiones inde sed plenas probationes oriri aut peti posse. Farinac. qu. 68. n. 54. Cardin. Tuschus lit. V. ubi ait perfectius probare testes per visum, quam per ullum sensum alium.

§. 23. Verum seqq. verba und im Fall/ so Er nicht erkant wehre / indicant Imperatorem loqui de eo, qui quidem visus sit hoc modo, sed non plene cognitus vel agnitus fuerit. Unde distinguere licet inter visionem sive recognitionem personæ suspectæ certam, claram, & distinctam, & inter visionem confusam, & cum solida personæ notitia non æque conjunctam. Etenim & rubrica ipsa & ordo tractationis & conjuncta capita ostendunt, agi hic de visione & recognitione dubia & quadantenus incerta: sive incertitudo illa versetur circa personam s. factum, ut de alterutro visio certò affirmari s. asseverari nequeat: sive locus fuerit remotior aut tempus subobscurum ut plenè perfectè & accuratè persona recognosci non potuerit v. Manziū h. n. 27. qui tamen præter Imperatoris mentem verbum fugere addit, ibi: si quis ex domo in qua quis occisus est, visus sit exire & fugere: siquidem fuga per se facit indicium præsumtivum §. zum stebenden hoc art.

Hinc

§. 24. Hinc Imp. porro monet in vers. So soll manne:
In hac dubietate porro inquirendū esse (1) de forma & spe-
cie suspectæ personæ (2.) de vestibus (3.) de armis (4.) de
equo, an sc. pedes an eques inceserit. Sed & hæc adjun-
cta certitudinem omnimodam non inducunt, possunt e-
nim & ipsa fallere, cum sc. locus remotior, aut tempus si-
ve dies fuerit obscurior, Tum enim & forma & habitus æ-
que nos possunt decipere.

Ad §. zum vierten /

§. 25. Quartum indicium generale & comune su-
mitur à societate, quæ dignoscitur vel ex cohabitatione vel
frequēti cōversatione cū ejusmodi hominibus, quæ simi-
lia maleficia exercent: Ratio præsumtionis patet ex vulga-
to proverbio: Noscitur ex socio, qui non cognoscitur ex se-
tione.

*4. Indiciu
sumitur à
societate
malorum
& familiari
conversa-
tione.*
*Prov. 13. v. 20, Ps. 18. v. 26. fac. l. 25. §. hoc autē 6. ibi: si imitati-
one conser vorū deter. factus est, & aleator forte vel erro eva-
sit. de Edil. Edict. Farinac. q. 52. n. 85. & 92. Studia enim
abeunt in mores & consuetudo est altera natura l. 1. §. 10.
de offic. præs. urb. l. 28. de inoffic. test. Goth. Anthonii disp.
feud. II. th. 3. lit. D. & quos alios annotavi ad Barbosam, lib.
17. c. 36. axiom. 7. Carpzov. d. q. 120. n. 35. & seq. ubi inter ali-
as declarationes hanc adjicit n. 39. quod sola illa conver-
satio cum hominibus maleficis non faciat indicium ad
torturam sufficiens. Quæ sane limitatio otiosa videri
poterat. Cum omnes hujus articuli præsumptiones levi-
ores sint, quam ut ad torturam inferendam sufficiant; pro-
ut ex fertis verbis monet Imper. in pr. art. 27. Quod etiam
contra Crusium part. I. de indicis cap. 8. n. 1. nimis licentiosè
disponentem, notandum est.*

§. 26. Inveniuntur, qui huic articulo ejusque defi-
nitioni in hoc articulo palàm & judicialiter obloqui non
verecundantur: Negantes conversationem & consuetu-
dinem

dinem cum malis hominibus indicium verisimile esse: quippe cum etiam integer vitæ, scelerisq; purus versari possit cum malis hominibus, neque tamen flagitia eorum approbare. Sic enim Noamum in media mundi impietate versatum fuisse: Animum tamen ipsius neuriquam eâ imbutum fuisse. Similiter & Lothum cum sceleratissimis vixisse Sodomitis; suam tamen mentem ab illorum peccatis immunem retinuisse. Imò ipsum salvatorem mundi, idem fecisse, neq; adeò reprehensionem meruisse. Neq; obstare. Quod quis similis videatur his, quibus cum versari solet. Hoc enim enunciatum contingens esse, quod plerumque verum non sit. Ita inquam nonnulli etiam sagas eripere justæ inquisitioni satagunt, Boceri auctoritatem allegantes in tr. de quæstionibus ꝑ. torturis cap. 3. n. 67. Verum ut nuper Facultas nostra masculè ac Deum magis quàm homines reverita, respondit: officia istæ sententiæ Imperatoris, sacratissimi Statuumque Imperii nequaquam labefactant, neque unquam Bocero in mentem venit, ut hanc sententiam impugnaret. Proponit sc. ille quæstionē de conversatione cum improbis hominibus & delinquere solitis, *νὸ ἀπλῶς*; sed informat eā dirigítq; specificè ad hunc scopum? Antalis conversatio sufficiens indicium ad torturam faciat? Quod tanè rectè per hunc ipsum articulum negat, & alia etiam adminicula ad torturam requirit. Malè ergò eius votum eo fine inducitur, quasi absolutè neget ex conversatione tali præsumtionem aliquam & verisimile indicium exurgere. Ad priorem thesin, aliquid efficiunt, opposita exempla: Non ad infringendam sanctionem Caroli V. Quanquam ad ea exēpla etiam aliter facile responderi queat, Nempe conversationem aliam contingere inter homines improbos etiam piis ex necessitate & quia *in mundo* sunt: Aliam verò per

per cōplacentiā esse, & quia *de mundo* sunt. Sic Noë, sic Lothi exempla cōsiderari possunt. Salvator autem noster quare cū peccatoribus conversatus sit, indicat ipsius officiū; Nimirū quod missus esset ad peccatores cōvertendos. Deinde nec ipse libenter interfuit societati peccatorum obstinatorū & malignantiū: (quorum imò conversationem usque fuit averfatus, *Ps. 1. itemq; vers. 26. Ps. 4. & 5.*)

Sed convertendorum & qui peccata sua agnoscerēt ac super his affligerentur Luca 15. Matth. 11. Absit ergo à Jure Consultorum Dicasterio impia ista sententia, quæ & DEO & magistratui contradicit. A conversatione enim improborum, cum maximè S. S. nos dehortatur, 1. Cor. 5. ibi: *Ihr sollt nichts mit Ihnen zuschaffen haben / 2. Thessa- lon. 3. Jerem. 9. Proverb. 22. Arnold. Mengerling, in Informat. Consc. Evangel. ad 3. Trinit. qu. 1.*

§. 27. Ex adverso fateamur utique conversationem talem maximè improvidam ac fortè præter intentionem semel iterumq; occurrentem, non facere ad torturam indicium. Poterat quidem dubium, movere, quod infra attic. 44. conversatio cum magis, indicium sufficiens præbere ac præstare dicitur etiam ad torturam. *¶ s. auch sonderliche Gemeinschaft mit Zaubern und Zauberin hat / uti disertè ibid. statuit M. Stephani cum allegatis pag. 107. vers. tertium indicium est.*

Sed Respondemus (1.) Non usque certum esse, utrum in illo *verf. auch sonderliche Gemeinschaft / novum, distinctum & per se sufficiens requisitum*, an verò declarativum tantum & jungendum cum prioribus proponatur, utic. is qui jaëtat doctrinam magicam vel minatur fascinationem talem, serio & tum demum egisse vel sensisse videatur, si cum veneficis peculiarem societatem habuerit, & ut in *f. art. sequitur, de magia aliàs infamatus sit. Licet enim ple-*

V

rosq;

rosque articulum eum aliter explicare noverim; peccasse tamen videntur & errasse, ideo quod faculam analyseos non adhibuerint, nec attenderint (1.) Imperatorem in distribuendis magiæ indiciis, uti particula distinctiva, *oder*. In declarandis a. requisitis illis, uti particula *auch*, quæ suâ naturâ non est distinctiva & diversificativa, sed connexiva & complexiva *v. Besold. thes. pract. verb. Auch. Cujac. ad lib. 25. Pauli ad Edict. in l. 28. de fidejuss. ubi ait, particulam, etiam, habere vim ἀναφορικῆς ἢ ἑξαρτητικῆς. relativam Natta cons. 476, n. 8. Cened. post lib. can. question. sing. 57. n. 4.* Quemadmodum ergò (2.) in vers. und dieselbige Person non proponitur novum & quintum indicium, *uti iterum erroneè constituit M. Stephani ad d. art. 44. vers. Quintum indicium.* quia Imperator non utitur voce *oder*; sed particula *und*, quæ suâ natura conjunctiva est, licet abusivè aliquando aliter usurpetur. *Besold. verb. und N. Reusner. 3. cons. 8. n. 41. pag. 73.* Adeoque commune suppositum denotat, quod sc. tum demum superiora indicia sigillatim ad torturam sufficiant, si persona delata etiam diffamata sit de tali crimine. Scusi publica fama conveniat: Ita suppositum societatis non est singulare & per se sufficiens, sed est copulativum & declarativum præcedentium duorum requisitorum. Siquidem particula *etiam* & altera (*&*) ferè ejusdem sunt potestatis. *per trad. Surdi decis. 210. n. 14.* Utique famam publicam die *Berichtigung* in omnibus d. art. 44, requisitis simul requiri ad torturam inferendam, ipse M. Stephani sibi fere contrarius *in d. vers. Quintum indicium est.* fateri palam cogitur, cum inquit: Manifestum esse præcedentia indicia minimè sufficere ad questionem, nisi accedat fama. Si enim tantum fama est correquisitum *συναπτικόν*? utique non potest ipsum per se esse peculiare, adeoque quintum ibi requisitum constituere.

Ad

Ad 4. Zum Fünften.

§. 27. Quintum indicium *remotum* sumitur ab *affe-3. ab affectu*
Etu: sic enim malo dicere & loqui generalius, quam cum *persona suo*
 aliis docere: in hoc verl. agi *de inimicitia capitali*, quomo- *specta.*
 modo sanè tradit M. Stephani h, n. 7. eumque conniven-
 tibus oculis ut semper sequutus Hunnius *de question. th. 6.*
n. 5. lit. F. C. A. th. 6. n. 6. & Carpzov. 3. qu. ct. 120. n. 43. qui eo
 magis peccat, quod etiam hanc sententiam isti versiculo
 imputat, quasi hoc velit: inimicitiam capitalem facere in-
 dicium sufficiens ad torturam, idque comprobare audeat
ex l. 3. §. ejusdem. 2. de testib. (ubi de inimicitia capitali pla-
 ne nihil habetur) & *l. 1. §. praterea 24. de Question.* In quo
 nec ipso hoc constituitur. Ex adverso contrariū est moni-
 tum Imperatoris in d. art. 27. nullum existis octo indiciiis
 sufficiens esse ad torturam; *Ist keines allein zu rechtlich-*
cher Anzeige/darauff peinliche Frage mag gebraucht
werden/genugsam.

§. 28. Beneficio ergo analytico verum hujus versifi-
 culi sensum excerpturi & eruituri, dicimus; Primò age-
 re Imperatorem in d. verl. nominatim de delictis ubi da-
 mnum vel læsio alteri infertur *In beschädigungen oder*
verletzungen. Remus nimis restrictè vertit, in cædibus &
 vulneribus, quem solito more Zierizius & alii sequuntur:
 Atqui ita (1.) indicium constitueremus speciale, nec ple-
 risque delictis commune, quod tamen inscriptio articuli
 desiderat. (2.) verbum *beschädigung* nequaquam cædem
 aut homicidium notat, neque (3.) damnum nostræ perso-
 næ tantum infertur, sed & rebus & bonis & hōnoribus: pro-
 ut à Casistis hæc omnia latius deducuntur *v. Lessium lib.*
2. de inst. & jur. c. 7. dub. 5. & seqq. Itaque merito vocis pro-
 prietatem retinemus & suffragante etiam rubricæ
 generalitate, loco subjecti intelligimus *quamvis lesionem*



five ea in corpore five in bonis nobis inferatur. Quod ex prædicato etiam uberius patebit. Atque ita rectè hætenus Manzius n. 32. in v̄b. Cum læso vel damnificato.

§. 29. In prædicato Imp. attendere Judicem jubet ad causas impellentes, quæque læsionem potuerunt procurasse quarum hîc quatuor enumerat (1.) odium. (2.) Inimicitiam (3.) minitacionem s. minas præcedentes & (4) expectationem alicujus lucri. His enim causis utique mortales cum maximè ad varia solent facinora impelli.

§. 30. Distingui illæ possunt in internas & externas: Internæ sunt odium & inimicitia. Licet enim Salvator noster hanc nobis omnibus regulam præscripserit, ut nos invicem diligamus & hunc certissimum characterem inhabitantis Spiritus Sancti constituerit, amorem proximi *Johan. 13. vers. 35. Levit. 19. vers. 18. Paulus in I. ad Corinth. 13. ad Rom. 2. vers. 9. & 10. item cap. 13. vers. 10.* Ex adverso infallibilis character sit inhabitantis maligni Spiritus odium pertinax ἀγχιόν & plane ἀσπρόν s. irreconciliabile *I. Johan. 3. vers. 14. & 15. & c. 4. vers. 20. Conf. Ambros. 2. offic cap. 7.* Licet etiam Philosophi moneant ne tanquam arenarii vel pretio adducti vel supplicio coacti descendamus ad certamen literarum. *Jul. Cas. Scaliger. de caus. latina lingu. cap. 148. sect. 4. post Aristot. I. de celo. cap. 10. cont. 101. lib. 2. Metaph. c. 1. cont. 1.* Quorundam tamen adversariorum ut *Epiphanius hæresi 19: Offensorum*, scribit, ἀθεγάπτου τον ἐς τὴν πᾶσι καὶ μὴ συνάμνον διὰ τὸ ἰσχυρῶς. Itaque subinde inventur contētiosi homunciones, qui vel coram toto mundo falsi convicti, non possunt tamen à calumniis & mendaciis abstinere & res suas agere, sed novas semper sycphantias & fabas cudunt, nihil reveriti officii publici dignitatem [in qua juventuti Academicæ bono debebant exemplo prælucere] nec scandalū quod discipulis præbe-

tur,

tur, nec extremum quod nobis omnibus imminet iudicium. Enimverò videntur ejusmodi efferati Borboritæ plane idem mente agitare, quod olim Nicolaus Neapolitanus qui Principi Othoni Brunsvicensi ob eruditionis famam erat percharus. Cum enim ab ipso Pontifice Romano non nihil offensus fuisset in quodam convivio, jussus inferiore ab eo quem ipse occupaverat loco sedere, rem quidem in convivio dissimulavit, sed discedens è convivio Cardinali cuidam dixit: binas se habere animas in uno corpore, unam quidem DEO dicatam: alteram verò cuicumque alii qui illam vellet. *Sunt verba Pandolphi Collenutii denuò relata à Bzovio in anno 1378. §. 14.* Eousque pertingit Diaboli malitia & persuasio, si miseri homunciones illi indulgeant. Quibus ego quidem nihil aliud reposuerim, quam in calumniatores & Sycophantas omnes competens apologeticum.

Si doctus pueris, scribax videâre peritis:

Latratus catulos prodit ubique suos

Heu quæ progenerat Dæmon hoc tēpore monstra,
Semicanes nanos, lemiviros satyros.

Oppugnet Themidem fraterculus ille Gigantum
Pigmæum tandem Spicula sæva prement

Quod si ergò tale animum odium occupet, equidem qui damnus in sine in personis aut honoribus perpeffus est, nulla apparente causa propinquiore, justam habet suspicandi causam, malum omne ab homine infesto provenisse: odia enim & similtates nihil aliud habent aut producant, quam nocendi cupiditatem, ait *Quintil. declam. 9.* torva leæna lupum sequitur, lupus ipse Capellam *Virgil. Ecclog. 2.*

§. 31. Porrò inimicitiam ab odio distinguere videtur Imperator: sic enim venenum in corde latens per gradus emergit. Tametsi enim apud bonos Authores hæc vo-



oes aliquando synonymicè accipiantur: Scholastici tamen gradus quosdam hic animadverterunt & distinxerunt. Sic enim disputant. Odium opponitur charitati s. amori, sicut autem duplex amor est: *Vnus* benevolentiae s. amicitiae; *alter* concupiscentiae. Ita quoque duplex est odium: Unum dicitur *odium personae* s. inimicitiae; alterum qualitatis s. abominationis, quo personam aversamur non secundum seipsam, sed malum ipsi adjacens, quatenus id vel nobis, vel alteri, vel communitati repugnat, *Ita Paulus Laymannus in Theol. morali lib. 2. tract. 3. c. 8. n. 1.*

§. 32. Quæ utut se habeant; neque enim an termini ita rectè à subtilitatis professoribus constituentur, nunc disputare volumus, ad materiam præsentem meditationem redigentes, admittimus comparationem, ad gradus istos demonstrandos. Ut enim benevolentiae odium; Ita concupiscentiae sive prothymiae inimicitia opponitur; quæ licet omnibus Christianis sub eodem periculo & jactura æternæ salutis interdicta sit, *in Epist. ad Galat. c. 4. vers. 20.* sine ullo tamen numinis metu quotidie videas æterna inimicitiarum monumenta Grajos de Grajis statuere. *Cic. 2. de invent. cap. 23.* Tales inimicos non dubium est aliis quibus irati sunt, maximo studio aversari [quod *Cæsar dicebat ap. Dionem Cassium in f. l. 37.*] & inimicum inimico omnia mala cupere tradunt *Dd. ad l. testium fides 3. in verb. an inimicus ei sit. de Testib. Nov. 90. c. 7. conf. Farinac. qu. 53. n. 3.* Non addit Imper. hîc pro qualitate istius requisiti, ut *inimicitia capitalis sit*, quemadmodum huic loco imputat *Carpz. 3. qu. crim. 120. n. 43.* de super allegans. *l. 3. de testib.* in cujus principio (ille §. 2. *perperam substituit*) attributum hoc etiam non reperitur: unde miror *Manzium* id etiam huic loco adjunxisse n. 32. & 36.

§. 33. Externæ causæ sunt minæ, & lucri affectatio:

Sic

Sic enim tandem odium & inimicitia ad actus externos
 procedit & in minas erumpit. Unde si quis alteri mor-
 tem vel simile malum interminatus fuerit, tanto magis se
 suspectum reddit, quanto fortius odio & inimicitia dete-
 gitur. Sunt enim verba in primis seria & atrocia, notæ a-
 nimi exulcerati *l. pro herede. 20. de acq. vel amitt. hered. l.*
Labeo. 6. §. 2. de suppell. legat. Mascard. de probat. concl. 865.
n. 17. & seqq. ubi vers. caterum d. §. 2. in primis commendat.
 Nec obstat quod minæ in art. 32. ad indicia certa & ad tor-
 turam sufficientia, referuntur. Etenim (1.) distinguen-
 dum est inter minas in genere sparsas & ad certum male-
 ficium directas. Non de his; sed de illis hoc lo. agitur
 [2.] requiritur in d. art. 32. ut delictum minis comprehen-
 sum, insequutum & perpetratum fuerit. (3.) Idque pau-
 lo temporis spatio & intervallo interposito: & (4.) ut per-
 sona ad eò levis sit, ut in eam suspicio de delicto admissa
 facile cadat. Quomodo nuper in actis publicis legebamus
Das zu Antorf sein Muschel Krämer (1.) ein liederlicher
Gesell / sich (2.) bey Teuffel holen vermessen / Er wolle
sein Haus in Brand stecken / darauff (3.) gleich abends
oben im Haus das Feuer angangen. Itaque ut incen-
 diarius comprehensus fuit. *Diar. Europ. in Anno 1663.*
n. 23. Ita de crimine veneficii legimus in art. 44. si quis
 (1) minatus alicui fuerit fascinationem & (2) malum alte-
 ri adversus quem minæ directæ fuerunt contigerit (3) per-
 sona de maleficio tale diffamata sit; tum demum majorem
 vim minis attribui. Unde apparet Dn. Carpzov. in exposi-
 tione hujus art. 3. qu. 120. post indicium de inimicitia. n. 43.
 & seqq. indicium de minis sine justa ratione omisisse & il-
 lud inter indicia certa retulisse qu. 121. n. 50. & seqq. Cum
 omninò distinguendum sit (1.) inter minas generaliter &
 indefinitè enūciatas & inter minas ad certū factū specificè
 directas

directas ac veluti determinatas, prout ipse fatetur d, qu 121. n. 53. (2.) inter minas absolute spectatas & conjunctas cum aliis adminiculis, qualia modo retulimus. Atque ita componendae sunt fluctuationes Dd, quas hic etiam Manzius indicat n. 41. & seqq.

§. 34. Denique licet affectatio & affectus ad numerum τῶν καὶ ἕω pertinere videantur. arg. l. metus. 3. Ex quib. caus. maj. Quia tamen affectatio lucris manifesta esse debet; ideo non incommodè ad externa quoque signa potest referri. Undè dubito, an nomen (gewartung) hic recte vertatur per spem, à Gallo scil. Paraphraste, Carpzovio, Manzio & aliis: ac non potius vertendum sit per expectationem. Spes enim remotior est, quam expectatio, quæ certius jus includit, quando nim. ex facinore aliquis certum veluti lucrum sperat ac sibi pollicetur spondetque arg. l. 1. pr. De Scto Maced. Cujusmodi sane expectatio neque civili neque naturali rationi convenit. l. inter 83. §. 5. v. & casum. de V. O. l. cum tale. 72. §. 1. ibi. fuit periculosum eorum mortem expectare. De condit. & demonstr. Ex quibus textib. apparet, hæc verba non tantum ad cædem, prout hic locus à plerisque restrictivè explicatur; sed ad alios casus causasque pertinere l. item si filius. 7. §. sed & si patri §. ibi: non mors sed alia causa inciderit ad Sctum Maced. Carpz. 3. q. crim. 120. n. 49. ut sc. de eo sinistra oriatur suspicio qui se talem casum ob utilitatem inde ad se redundaturam expectare professus sit. Interim propter expectationem ejusmodi incivilem sæpius etiam parentibus insidias ab impiis liberis locatas fuisse præter exempla & historias probat Imp. in §. illud propriè. 7. in f. Quod cum eo qui. Indicavit hoc etiam Quintilianus cum ostendere vellet vocis expectandi ambiguitatem, quæ aliquando idem significat quod

quod *operiri*, *prestolari*: aliàs autem *desiderare* & valdè cupere. Sic enim scribit *lib. 9. Instit. orat. c. 3.* cum pater objecisset filio, quod mortem suam *expectaret*; Filius autem respondisset: Ego vero non expecto: Rogavit pater argutissimè: Imò rogo expectes, *Lips. ad lib. 5. Seneca de benefico. cap. 17. & 116.* Eodem fere sensu Cicero in *Miloniana*, ubi de nece *Africani*; ait: Quem immortalem si fieri possit, omnes esse cuperent, ejus ne necessariam quidem expectatam esse mortem. Simile exemplum & simul dilogia occurrit in illo lusu in *Neronem* ap. *Sueton. cap. 39.*

Quis neget *Aeneæ* magna de *Stirpe Neronem*?

Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem

Nam & *Nero* matrem interfecit *expectatione* liberioris Imperii. Unde apparet hoc indicium non omninò nullum esse, *uti Carpzov. censet. 3. qu. cr. 120. n. 49.* sed verisimile; Si nempe maleficio, quod accidit, propius conveniat.

§ 35. Sensus ergò totius verbi. *Zum fünften* / erit iste: Inter indicia remota & præsumptiones non contemnendas & hanc esse, si maleficio aliquod commissum sit, cujus author ignoretur, suspicio a. cadat in hominem aliquem qui aut (1) odio prosequutus sit lesum [2] aut inimicitiam manifestam cum eodem aluerit, aut [3] etiam minatus ei sit, aut (4) compendium aliquod expectare ex casu potuerit, Unde probabiliter colligi queat, hominem ceterà etiam suspectum, ad facinus forte impulsus fuisse. Quæ tamen omnia non certum aut ad torturam sufficiens producant indicium; nec tamen nullum, aut plane negligendum: sed aliquod saltem adferunt momentum, quod saltem ad inquisitionem & porro ad veritatem per gradus investigandam, judicè permovere queat.

Ad §. *Zum Sechsten.*

§ 36. Objicere quis posset, jam non sextum, sed nonum indicium numerandum esse, si quidem in præcedente versiculo quatuor indicia simul fuerint proposita. Verum jam occupavimus hanc objectionem, demonstrando indicia illa sub uno genere turbationis affectus & animi comprehendi posse: Adeoque jam sexto loco aliud plane diversi commatis & generis proponi, nempe ex ipsius læsi, s. damno affecti inculpatione rationabili, morte vel juramento confirmata. Sic n. & istæ versiculus generalius concipiendus est, non specialiter de vulnerato, prout facit *Carpz. cr. 3. qu. 120. n. 50.*

*VI. Indi

cium re-

motum.

Inculpa-

tio læsi

morte vel

juramento

firmata,

X

n. 50. Neque enim læsio tantum per vulnera contingere potest; Sed aliter etiam, tum in corpore, tum in animo, tum in bonis, tum in honore: uti *d. sup. th. 28.* Corpus enim non tantum ferro, sed & toxico lædi potest: animus philtro & fascino: bona incendio, rapto, furto, corruptione: honor minuitur dictis, scriptis, picturis. Nec movere nos debet mentio mortis. Siquidem ista querela & differri ad terminum mortis, & continuari aliquando ad extremam usque vitæ lineam potest, quorsum collimat particula *drauff sterben* / q. d. constanter immori professioni. *fac. art. 31. vers. Zum sünften* *ibi: So soll der Sager auff der Besagung beständig bleiben.*

Pro ratione dubitandi contra hunc versic. communiter adferri solet, quod depositio sive inculpatio in propria causa nihil valeat: [Si enim inculpasse, & per informes querelas accusasse suffecerit, quis innocens erit. *l. ult. ibi: Non statim reus, qui accusari potuit, existimetur. C. de acc. sat.*] Tum nullus idoneus testis in re propria habeatur *l. nullus 10. de testib.* Ergò hæc depositio plane non mereatur inter indicia referri. Nec attendenda erit aut vox moribundi; Siquidem & morientes habent affectus humanos, nec omnes sunt Evangelistæ, ut dici solet *arg. l. 3. §. 1. ad SC. Silan.* Nec juramentum ultrò præstitum & absque solennitate legali depositum, magnam fidem meretur, sed potius pro temerario habetur *l. Quæ sub conditione 8. vers. Cum n. faciles sint nonnulli homines ad jurandum* *De condit. instit. l. si duo 13. §. ult. in f. de jurejur. Gail. 1. observ. 81. n. 4.* *A Faber. in C. suo lib. 4. tit. 5. de fin. 8. n. 4.*

§. 37. Sed Resp, [1] Nudam quidem inculpationem aut depositionem non posse præjudicare tertio, sed eam demum attendi, quæ (primò) nititur certiis argumentis, ut frivola plane videri nequeat *Menoch. 1. pres. 89. n. 72 & seqq. & qu. 88. n. 21.* [2.] cui etiam accedat momentū religionis, qualis esse solet morientiū & juratò adseverantium. Licet n. (quod morientes attinet) dici soleat: Non omnem morientem esse Johannem Evangelistam & veritatem loqui. *Menoch. de pres. l. 5. pres. 5. n. 19.* & *de A. I. Q. casu 99. n. 30.* Major tamen pars hominum præsumitur in ultimo illo vitæ actu complicatam animi sui notionē evolvere. nec facile animam gravare velle. *l. ult. ibi: ut saluti propria ullum commodum anteponat. C. ad L. lib. repetund. l. 5. C. fam. erisc. l. 26 C. de nupt. Farin. qu. crim. 46. n. 5. p. 699.* (2) quoad jusjurandum; discernendum est inter temerariam hominis levis ad jurandum linguam adsuæscientis procaciam, & religiosam hominis cordati asseverationem: Illa temeritas meritò rejicitur: Sed ista *ead. l. 8. de condit. instit. non parvi penditur. fac. l. videamus 4. §. Deferre 1 de in lit. jurand. l. si quis. 11. C. de reb. cred.* Dicitur n. etiam pejerans s. falsò dejerans animam suam occidere: *cap. juramenti 12. caus. 22. qu. 5. c. ex literis. 19. de Sponsal.*

F I N I S


ULB Halle
005 049 822

3



VD 17





17632.

DE

Ag.^a

7

1665

INDICIIS DELICTORVM

REMOTIS ET LEVIORIBUS

*Ad explicationem articuli. 25. Constit. Carolinae
directa Commentatio.*

Quam

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO.

*VIRI Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi
& Consultissimi*


DN. JOH. OTTONIS TABORIS
JCTI EMINENTISSIMI, SERENISSIMI
Principis Hasso-Darmstadini &c. aliorumque
Imperii Statuum Consiliarii, Universitatis LUDO-
VICIANÆ Cancellarii & Profes-
soris Primarii

DN. Patroni, Promotoris ac Præceptoris æternum venerandi
Publicè defendendam suscipit.

JOHANNES BURCKHARD-US ROSLERUS
Schottà Hassus.

Ad Diem Augusti.

IN AUDITORIO JCTORUM.



GIESSÆ HASSORUM

Typis FRIDERICI KARGERI.

